



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Maximi Tyrii Dissertationes

Maximus <Tyrius>

Lipsiae, 1774

Ierem. Marklandi Ad Maximvm Tyrivm Praefatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51003](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51003)



IEREM. MARKLANDI
AD
 MAXIMVM TYRIVM
 PRAEFATIO.

Superiori aestate, ruri positus, nonnulla commentatus eram in priorem Doctissimi et Optimi *Ioan. Dauisi* (τῆς μοναχίου) editionem *Maximi Tyrii*, Cantabrig. MDCCIII. Postea, concessa potestate inspiciendi hanc Secundam antequam in publicum prodiret, ea conditione, vt si quid notatu dignum restare videretur, istud communicarem, ita feci; et ex pluribus haec excerpti. ex pluribus, dico: nam eruditissimus Vir in hac Editione tam frequenter a priore sententia discessit, vt a necessitate quidem dissentendi plerumque me liberaverit, in aliam vero plane contrariam coniecero. iam enim cogor excusatione vti, non quod Diuersae, sed quod Eiusdem cum eo tam saepe sim sententiae. Quamobrem, ego hic sanctissime et religiosissime profiteor et adfirmo, me ne apicem quidem, quantum scio, a Cl. *Dauiso* sublegisse; sed omnia loca in quibus vel in Manuscriptorum Lectiones, vel in Coniecturas et Citationes Illius inciderim, a me notata fuisse antequam lineam vnā huius editionis vidissem, aut alio modo quocumque rescuissem. de qua re monuisse visum fuit, vt fraudis malae omnem suspicionem amolirer, cum deprehensurus sit Lector me saepius incurrisse in Codicum scripturam, et Cl. Viri Coniecturas. quae vero in istiusmodi loca scripseram, idcirco non deleui, quia Exemplis ea muniueram: quam partem a Cl. Editore saepe omissam video. vnā praecipue notulam reliqui (Dissert. V, 9.) propter miram συνέμπτωση, non solum

lum in Sensu, verum etiam in Exemplis: nisi quod Ille plura et eruditiora attulerit.

Ceterum quia Nouum aliquod de hoc Auctore, et de *Gemina Editione* harum Dissertationum ab Ipso Maximo in publicum data, prolaturus sum, necesse erit vt de ea re aliquid dicam. Et dudum quidem hoc suspicatus fueram ex Codd. *Regii et Florentini* Lectionibus, quae in Cl. *Dauisii* priore Edit. visuntur: sed inspecta hac Noua, nullus adhuc dubitationi locus relinquebatur. nam Exemplaria, *Regium, et Harleianum, et Pacci* Versio, in Lectionibus plerumque conspirant tam insignibus, et tam longe discrepant a scriptura vulgatarum antehac editionum, (quae itidem ex aliis MSS. veniebant) vt incredibile sit tam enormes varietates a Librariis, et nullatenus verissimile ab Interpolatoribus, aut ab Alio quouis quam ab Ipso Auctore, profectas fuisse. sunt enim eiusmodi vt Sensum priore longe meliorem et accuratiorem reddant, et Argumentationem in aliqua parte labantem restituant: quin et interdum istius Subtilitatis, vt vix vllus, nisi Ipse Scriptor, sibi conscius se non ex toto satisfecisse proposito suo, de tali mutatione cogitasset: et tamen, mutatione semel facta, quilibet iudex vel Necessitatem eius, vel Praestantiam prae priore Lectione, facile perspiciat. Huiusce generis exempla in singulis Dissertationibus (paene dixeram Sectionibus) inuenies. eorum tamen gratia, qui has Annotationes forte non lecturi sunt, vnum alterumue hic proponere libet.

Dissert. I. sect. 4. agitur de *Instabilitate Voluptatis*: et, *Non nego*, inquit Maximus vel Alius quis, *Voluptatem esse BONVM; sed probetur esse STABILE. quod si probari potest, ἀνεξομαί τῶ λόγῳ, admittam istud quod dicis, et Virtutem negligam, etc.* Ita erat in MSS. ex quibus procuratae sunt Editt. Vulgatae; nec dubito quin Maximus ita primum scripserit et ediderit. Sed *Regius, Harleianus, et Pacci* Codex, (quos pro comperto

paene habeo transcriptos fuisse ab exemplaribus Secundae ἑκδόσεως harum Dissertationum) immani mutatione pro ἀνέξομαι τῷ λόγῳ, exhibent, ἀνέξομαι ἠδόμενος τὸν πάντα χρόνον, voluptati indulgebo per totum vitae tempus: quod multo pressius est quam vagum istud τῷ λόγῳ, et ad Argumentum multo magis accommodum. pollicetur enim, se non solum Rationes Aduersarii admissurum, sed, multo liberalius, vitam quoque secundum eas ἀβίβον, si Iste δόγμα suum probare possit. Probes hoc, inquit, neque ultra disputabo, sed statim fiam Epicureus practicus.

Par istud Dissert. XXXI, 3. vbi pro ἐλέγξαι τὸν ἄνδρα, hi Codices habent, ἐλέγξαι τὸ τῷ λέοντος ἤχος: pro quibus vltimis vocibus Davisus optime restituit λέγοντος ἤθος. indolem loquentis monstrare. Inspice locum, et videbis quam longe isti Lectioni haec praestet, tum Sensu, vt ἤθος τῷ λέγοντες Oppositum sit τῇ ῥώμῃ ferarum; tum Elegantia; praecessit enim ἄνδρὸς paullo ante, vt non adeo venuste tam paruo interuallo eadem vox repeti potuerit. et tamen pauci praeter Auctorem de tali Correctione solliciti fuissent.

Subtilius paullo Dissert. XL, p. 479. Nam fluuios laudas, si puri a fontibus decurrant; et plantas laudas, etiamsi trunci (σελέχη) earum senuerint, si tamen extent adhuc semina; nobilitatem in hominibus non laudabis, si ex virtute orta etc.? Ita erat in prioribus Editionibus: sed in hac, pro σελέχη inuenies ex his MSS. σώματα. Si causam quaeras tam notabilis mutationis, eandem esse reperies quae caeterarum, scil. Argumentationem non adeo accuratam, quae in Prima Editione Auctorem fugerat. Voluit enim dicere, Laudamus Plantas vel Arbores, licet iam effoetae sint et fructiferae esse desierint, si modo semina earum adhuc extent et seruentur. Sed pro tota Arbore vel Planta, prout voluit et debuit dicere, partem tantum posuit, (σελέχος enim est truncus solummodo, caudex arboris) quod proposito suo erat

erat maxime incommodum. saepe enim fit, ut ex *cacumine* trunci aridi et *γηράσκοντος* enascantur *rami* satis fructiferi, qui tamen *pars* sunt arboris aequae ac *truncus*. Sensit hunc defectum in *Curis Secundis*: ideo pro *σελέχη* posuit *σώματα*, qua voce *totam* arborem, tam *truncum* quam *ramos*, comprehendere voluit.

Iterum XII, 3. loquitur de migratione gruis, qui cum sit corporis non aequilibris, non prius in altum se attollit quam lapidem ore assumat, *ἔρμα μὲν εἶναι αὐτῇ πρὸς τὴν πῆσιν, Φυλακὴν δὲ πρὸς σωτηρίαν*, qui lapis illi sit *instar saburrae*, ut commode volet; et *custodiae*, ne pereat. Sic olim edebatur. sed vltimum comma, *Φυλακὴν δὲ πρὸς σωτηρίαν*, omittunt Codd. *Regius*, et *Harleianus*, seu potius Ipse Maximus. opus enim suum recensens, vidit vltima ista non adeo apta esse huic loco, in quo non de *Vigiliis* gruum sed de *Volatu* tantum agitur, ut bene notat *Dauisius*. ideo ex *Secunda Editione* ea eiecit, et deleuit *μὲν* in priori parte sententiae, postquam aberat *Aduersatiuum* eius *δὲ* in posteriori.

Innumera huiuscemodi *Exempla* proferre possem; et plura lubenter adiungerem: est enim res magnae delectationis sequi *Auctorem ingeniosum* vestigia sua reagentem, et *παροράματα* sua feliciter reformantem. sed alio me vocant aliorum *παροράματα*, *Scribarum* scilicet, qui *luculenta* argumenta praebebunt *Duarum Editionum* ab ipso Maximo profectarum. Horum enim *Incuria* vel *Inscitia* factum est, ut *Vtriusque Editionis* *LECTIONES* in *Contextu* multis in locis adhuc conspiciantur; adeo euidenter, ut *κρίσεως* peritos, semel monitos, ne dubitatueros quidem opiner. Huius quoque rei *exempla* pauca adponam.

Differt. I. sect. 3. Epicuri doctrinam de *Voluptate* comparat *βασιλικῇ ὀλκᾷ* *ἁίτη βασιλέως*, regio *nauigio regis Aetæae*. Quo nihil puerilius scribi potuit. si enim dicas aliquem esse *Regem*, quodnam opus ut addas, *nauigium* eius esse *Regium nauigium*? *Consedit* deinde in

REGIA *fella*, inquit Curtius V, 2. Recte. sed risisses si idem scripsisset, in REGIA *fella* REGIS. Hic itaque habes Lectiones Vtriusque Editionis. nam post Recensionem a Maximo factam, verisimile est Scripturas Prioris Editionis in Margine Secundae seruatas fuisse, Emptoris et Lectoris curiosi gratia: vnde processu temporis in Contextum hae quoque admissae fuerint. Priorem itaque Lectionem opinor fuisse βασιλικῆ ὀλκᾶδι ἄιήτης, sequiorem, ὀλκᾶδι ἄιήτης βασιλέως, (quae vltima, si ambas perpenderit, multo potior videbitur, cum discrimen sit inter ὀλκᾶδα βασιλικὴν et ὀλκᾶδα βασιλέως) et vocem βασιλικῆ Margini Secundae ἐκδόσεως adscriptam fuisse, et inde in Nostras defluxisse.

Iterum, Dissert. XXII, §. Τριῶν δὴ πολιτειῶν τρία τ' αὖ μισθήματα [βίων] ἴδοις ἂν ἐν ἀνθρώπων ψυχῇ. Vox βίων nihil hic agit; neque inuenire potes vbi eam ponas. si aliter censeas, construe mihi hanc sententiam. Neque melius procedet si distinguas post πολιτειῶν, et subintelligas ἄσῶν, vt absolute ista sumantur, quod interdum fit: tunc enim dixisse debuit ἐν ἀνθρώποις, vel ἐν ἀνθρώπων γένει, non ἐν ἀνθρώπων ψυχῇ, quod non patitur sensus communis. Admodum probabile videtur, editum a Maximo primum fuisse, Τριῶν δὴ βίων τρία τ' αὖ μισθήματα ἴδοις etc. postea vero pro βίων in Secunda Editione substitutum πολιτειῶν quam vocem rei de qua agitur multo esse commodiorem, quis, inspecto loco, primo intuitu possit intelligere.

Rurfus, Dissert. IX, 3. in descriptione Socratis: Quid igitur si aliquis ad te veniret, et narraret, quod Atheniensis quidam, γέρον τὴν ἡλικίαν, professione philosophus, fortuna pauper, — βεβιωκῶς μὲν πόρρω ἡλικίας, etc. At quid otiosius et ineptius esse potuit quam ambo ista, γέρον τὴν ἡλικίαν, et βεβιωκῶς μὲν πόρρω ἡλικίας, in eadem sententia et χαρακτηρησιμῶ? nulla enim est differentia inter sensum harum locutionem. Quenam igitur ex iis a manu vltima Maximi?

Posterior,

Posterior, ut mihi videtur; tum quia maiorem elegantiae speciem habet, et, nisi fallor, est phrasis Platonis; tum propter sequens comma, *βεβιωκῶς ΜΕΝ πόρρω ἡλικίας, ἐπανέτας ΔΕ σχῶν τῶ τρόπῳ* etc. ubi Aduersatiua δὲ stabilit praecedens μὲν, et retinendam esse istam sententiae partem aliquatenus probat.

Porro, Dissert. XIX, §. ex Euripidis *Phoenissis* v. 18. citauerat Maximus in Prima Editione Oraculum Laio datum,

Μὴ σπείρει τέκνων ἄλοκα δαιμόνων ἄτρε,
errore memoriae, pro *δαιμόνων βία*, *Diis inuitis*; quemadmodum legitur in Euripide, et Luciano *Iur. Confut.* p. 124. Hunc errorem deprehendit Noster et in Secunda correxit, et reposuit *δαιμόνων βία* et reiecta erat in Marginem, prout merebatur, altera Lectio, *ἄτρε*. sed eam ibi manere non passi sunt fidi Exscriptores: nam *Harleianus* exhibet *δαιμόνων βίαπερ*, id est, *βία ἄτρε*, prioris Editionis Lectione ex Margine petita, et humano capiti addita ceruice equina. Insigne hoc, nisi fallor, indicium Probabilitatis Coniecturae meae. Denique, ex hac Lectionum Confusione natum arbitrator, quod nonnulla loca nunquam restitui possint, donec inueniantur Codices distinctiores.

Sed ad aliam Crisin pergo; in quo metus est ne offendam, cum tam liberum iudicium prolaturus sim de Scriptorum Antiquo, Acuto, Ingenioso, et certe Eruditissimo. Et tamen non vereor dicere, Has Dissertationes FESTINANTER et PARVUM ACCURATE compositas fuisse, cuius rei Duo sunt manifesta Indicia. *Primum*, quod pleraeque *Citationes* ex Vetus Scripturibus, et *Facta* multa et *Historiae* adeo negligenter ab eo producuntur, ut pateat ea non ex Scriptorum Fide, sed ex infida sua Memoria fuisse petita. Per multa huiusce rei exempla videbis in Notis eruditissimis Cl. *Dauisi*; vnde certissime possis colligere, Haec scripta fuisse non ab homine in Museo suo

et

et inter Libros posito; sed raptim, et *αὐτοσχεδίως*, et vrgentibus temporis angustiis. Nimirum haec res fuit: Philosophi hi, qualis fuit Noster, magnam vitae partem in Peregrinationibus transigebant et Discursibus (Lucri, vel Gloriam, vel denique *ἰσορίας* gratia) per Syriam, Asiam, Graeciam, et vicinas regiones; interdum Galliam et Italiam visebant. postquam vero Urbem aliquam aduenissent splendidam et illustrem, et in qua hominum Eruditorum et Politiorum maior esset copia, interdum rogati, interdum vltronei *Promisere diem*, vt Ille ait et ingenii sui Specimen publica aliqua *Recitatione* dederunt. Huiusce generis sunt Apuleii *Florida*; Luciani *Scythia*, et nonnulla alia; Aristides *Cyzicena*, et alia aliquot; et Veterum complura talia, quae adhuc extant, et Eruditis bene nota sunt. Huiusce generis videntur fuisse pleraeque harum, de quibus agimus, Dissertationum. Iam vero, cum saepe necesse haberent hi Oratores subito et ex imparato, vel paruo admodum spatio temporis dato, differere, et fortasse de Quaestione ab Alio proposita, fieri vix potuit quin in has angustias redacti homines, et quasi deprehensi, nonnulla proferrent *ἀνεξέταστα* et inemendata, non solum in *Factorum* commemoratione, verum etiam in *Ratiocinatione*; a qua dependet *Secundum* Indicium nostrae assertionis. nam sane iniuriam faceremus acerrimi ingenii Scriptori, si vlli causae, nisi *Festinationi*, adsignaremus tot in hac parte errores qui infederunt has Dissertationes, antequam eas Ipse recensuisset, et denuo edidisset. Atque haec, vt mihi videtur, praecipua vel vnica causa fuit Secundae Editionis. notatu enim dignum est, istas, paene innumeras, Correctiones, quae in Codd. *Regio*, *Harleiano*, et *Paccii* Versione inueniuntur, plerasque versari circa emendandam et restituendam Partem *Argumentatiuam*; et, quod mirum est, vix vnum Erratum *Historicum* a Maximo in Repetita Editione sublatum reperies. Restant quidem adhuc, nisi fallor,

fallor, bene multa prioris generis, quae Ille aut non vidit, aut noluit tollere; saltem, non sustulit. haec ubi occurrebant, notavi: quae tot numero sunt, ut abunde sufficiant non solum ad probandum istud quod dixi, Has Dissertationes *parum accurate* compositas, verum etiam, minus exacte *recensitas* fuisse, et *Secunda vice* emissas.

Nihilominus vtilissimum et saepe repetita lectione dignum esse hunc Auctorem existimo, cum propter Rerum et Quaestionum, de quibus differit, momentum et gravitatem; tum ob eximias Ipsius dotes, Ingenii Acumen et Amoenitatem simul, Inventionem felicissimam, Eruditionem diffusissimam. Vtinam multo plures huiusce generis antiquos Scriptores haberemus.

I. M.

Mart. 10.

A. D. MDCCXL.

INDEX